

Q. F. F. Q. S.
CATALOGUS
LECTIONUM

QVÆ IN
GYMNASIO RIGENSI

PUBLICÆ PROPONUNTUR
EXHIBITUS

ANNO MDCC LXXXVIII.
DOM. XV. P. TRIN.



RIGÆ
PRÆLO NÖLLERIANO.



DAVID CASPARI, Past. Prof.

& Inspect. postquam de *Studiis futuri Theologi* aliquantum prolixè præfatus est, ad ipsam deniq; *Theologiam* pervenit; in qua tradenda à solita *Theologorum* methodo non recedit. Primo enim *Thesin*, per *Articulorum*, in *Catena Breveriana* contentorum, seriem, proponit, *Scripturæ*q; *Fundamentis* confirmat. Deinde *Antithesin* strictim expedit & confutat. Utrobq; autem *B. Dieterici Institutiones Catecheticas*, in *Schola* pertractatas, repetit; quibus nonnulla, cum opus est, addit. *Disputationibus* etiam exercet *Auditores* suos, ne occasio desit proponendi & resolvendi, quæ occurrunt, dubia. Hoc ordine de *Theologia in Genere* & *S. Scriptura*; de *DEO Trinuno*; de *Creatione Angelorum* & *Hominum*; de *Providentia Dei* & *Angelorum lapsu*; de *Peccato*; de *Christi*, item *Persona* & *Officia* hæcenus egit: nunc circa *Legem* & *Evangelium* occupatur; ad reliquos *Theologiæ Locos* pari ratione processurus, si *Deus vitam* & *vires largitus fuerit*. Docet diebus *Lunæ* & *Mercurii* hor, IX.

JOH.

JOH. PAUL. Möller / Juris & Mathe-
 leos Prof. Sicuti binis per septimanam horis *Jus*
Personarum, ad ductum *Justiniani*, ex veris suis
 principiis deduxit: ita impofterum eadem ratione *Jus*
Rerum est traditurus. Ea ergo, quæ tam ad uberio-
 rem sensum verborum, quàm ipsarum legum rationem faci-
 ent, pro captu Auditorum proponet, regulisq; Juris con-
 firmabit, respiciendo, quoties opus est, ad Rempublicam
 Romanam Veterumq; Legumlatorum statum. Im-
 primis verò materias Juris Civilis ad *Juris Naturæ & Gen-
 tium* fontes revocabit, idq; & *examinando & disputando*:
 quo egregium hujus seculi inventum, quod *Grotius*, aliisq;
 post ipsum, accuratiores Philosophiæ moralis Doctores
 gratum atq; acceptum ferunt, Studiosis Juris, vel etiam
 aliis, qui industriæ fructum non nisi in societate Civili
 colligendi spem habent, maturè innotescat. Docebit hæc
 dieb. Martis & Jovis horâ X.

In Mathematicis *Doctrinâ de Proportionibus* exemplis tum
 Arithmetiis tum Geometricis, imò & Algebraicis, quò
 natura ejus melius percipiatur, hætenus propositâ; &
 ita non solum fundamento *Regule Aureæ*, vulgo *de Tri*, sed
 & ipsâ medullâ & animâ universæ Matheseos per vestiga-
 ris: in sequentibus eidem doctrinæ *Opticam*, cum reliquis
 suis partibus, *Catoptrica* nimirum & *Dioptrica*, quoad plu-

rimas Propositiones, à Cl. Dno Sturnico in tabulis Ma-
 thematicis traditas, superstruet. Potissimum verò *Pro-
 jectiones Scenographicas* plenius diducet, idq; tam solo linea-
 rum ductu, quàm adhibitis instrumentis *Perspectivæ Me-
 chanicæ* intervientibus. Insuper & alia hujus generis plu-
 ra Machinamenta, quibus optici studii utilitas pariter atq;
 jucunditas se commendat, Curiosorum Auditorum oculo
 subjiciet. His peractis Profectoribus *Architecturæ Ci-
 vilis & Militaris* regulas, ordines & delineationes, quæ o-
 mnia plurimam partem Oculo judice, concinnantur, pro-
 positurus est. Cum Incipientibus vero *Elementa Arith-
 metica & Geometrica* ordietur. Ultra hæc privatam operam
 desiderantibus disciplinas, quæ ex vario Matheseos the-
 sauro, cuilibet vel grata vel commodæ erunt, traditu-
 rum se cum Deo promittit. Horæ Lectionum Mathe-
 maticarum publicarum sunt, diebus Lunæ & Jovis II. die
 Veneris X. & II.

* † *

CHRISTOPH. Seigener / Prof. In
 Lectionibus Rhetoricis B. Job. Horniceï Præcepta, jam
 tum Auditoribus non ignota, uberiori explica-
 tione pluribusq; exemplis illustravit, uno & altero Praxe-
 os Oratoricæ exercitio instituto, ad doctrinam, de tribus
 Cau.

Causarum Generibus, rectius intelligendam, magisq; id faciet, simulac *primum Librum* absolverit, ubi imprimis *Locorum Dialecticorum* s. *Generalium* (ut vocat Autor) usum longe maximum re ipsa ostendet, dum manus, ad *Gymnasmata* hæc rite conscribenda, admoturis *Loca* illa identidem respicienda, indeq; subsidium erit petendum. *Docet ea Die Mart. Hor. IX.*

In *Historia Universali*, ex *Grabii* *Tabb. Synopticis* tradenda, *Res gestas Monarchiæ III.* jam absolvit, exceptis iis, quæ ad *vitas virorum*, illa ætate celebrius, supersunt; quibus mox finitis ad *IV. Monarchiam*, ejusq; *Synchronismos*, *B. C. D.* progredietur, eadem, quæ ante, *methodo* monstraturus, quomodo singulorum *Regnorum* mutationes, earumq; *occasiones & causas* diligenter observare, item, quæ *virtutes*, quæ *vitia* sequi & fugere unumquemq; deceat, quod *omnis Historiæ*, & *utilitatis*, ex ea capiendæ, scopus est. *Disputandi* ansam, vel saltim ad *latine loquendi facultatem* sibi ita comparandam, desumptis ex *Lectionibus* hisce controversiis, semel dedit, sapius in posterum daturus, si fuerint, qui in hac *palæstra* exerceri voluerint. *Doc. hæc Jovis & Veneris dieb. Hor. I.*

In *Plinii Panegyrico* explicando non tantum concisum & argutum dicendi genus suo loco & tempore imitari atq; *observationes Politicas* instituire & rimari, sed cum *primis boni Principis ideam*, in *Trajano Imp.* propositam, & quæ

quæ summa arte Autor noster de eod. dicit, in *REGE NOSTRO O. M.* mirari docet *die Mercur. Hor. IX.*

Ad *Poeticam Artem* feliciter tractandam, in *divinum Aeneidos Virgilianæ* opus, cujus *II dum Librum* nunc fere ad finem deduxit, commentatur, *Lingvarum*, cum *latinæ* tum *vernaculæ*, genium accurate expendendo, resq; ipsas ad *hodiernos usus* conferendo. *Die Martis Hor. II.*

In *Græca Literatura* futuris *Theologis* ut esset adjumento, ipsorum rogatu ex *Nov. Test. Apostolorum* ἔργα ἡμέρας, unde simul *Historiæ Ecclesiast.* primordia innotescunt, *Dissertationibus Theologico-Philologicis* exponit, *sexto eorum Capite* absoluto, ut, post *genuinum verborum sensum & copiam* rerum quoq; *dubiarum* tam *assertionem*, quam *confutationem* solide addiscant. *Die Lun. Hor. X.*

Privata etiam opera propediem, *adjuvante Deo*, varia, ad *Latinitatem & Historiam* utilia proponet.

* † *

M. MICHAEL PINSDÖRFFER Philos: Prof: & Sch. Rect: Provinciam, à Magnif: & Amplif: Senatu nuper sibi concreditam pro virili, cum DEO, ornaturus, Philosophiam auspiciabitur à *Dialectica*, faciliiori Aristotelici Organi Portione; ut hujus, & *Analyticae*,

tice, ceu accuratioris Methodi, auxilio sublevati Auditores, eò facilius & felicius in reliqvas Philosophiæ Partes, præeunte Philosopho, penetrare possint. Cum Dialectica *πραγματική* Ethicam conjunget; quibus absolutis ad Politicam & Physicam progredietur, ut sic & Effectiva, & Activa, & Speculativa, suo singula Ordine, pertractentur. Docebit Dialecticam diebus Jovis & Veneris hor. IX. Ethicam diebus Lune & Martis hora I.

Crebro quoq; ut rigorosiori certamini disputatorio leviores quasi velitationes præmittantur, nonnullas ad ventilandum Theses proponet.

In Lingua Hebræa, Grammaticam Analyfin, in Schola inferiori ad B. D. Wasmuthi præcepta monstratam excipient Philologica, usum suum totam per Theologiam satis superq; spargentia, dum Oracula selectiora ex Codice S. secundum Ordinem Locorum Theologorum tractabuntur die Sabbat. hor. IX.

